



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Sucquet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 41. de morte

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

CAPVT XLII.

De tertio medio Meditationem atque affectus ejus ampliandi, sive de Morte, & consideratione eius quod tunc nos elegisse optabimus.

COMPOSITIO LOCI, ut in imagine. & ORATIO, ut supra.

PUNCTVM I. Considera quorsum in hâc vitâ à Deo collocatus sis; numquid ut spatio brevi horæ vnus æternum gloriæ pondus mercarere? proinde nihil tibi, nihil ulli homini aliud est quod agat: & vide quomodo plerique mortalium alia omnia agant. Secundò, animadvertè quomodo, ubi venerit hora hæc, affectum esse oporteat eum, qui in hâc vitæ scenâ ritè partes suas egerit, & in hoc mercatu opes veras compararit, quomodo exultet de mortis nuntio, anhelet ad eâ, ita planè ac si famelicus ad opiparam cœnam, operarius ad mercedem, mendicus ad regnum vocatur: è contrario malos inertes, tum cum fatuis virginibus serò cogitare de oleo, de lampadibus, & citò rapi ad iudicem omnibus relictis, nudos, obæatos, & gravissimè perturbatos. Quis sapiens hæc considerat, & non continuò virtutem N. et si radix ejus amara est, libenter amplectitur, vitii que absinthium detestatur?

Finis creationis.

Mors bona quam felix.

Matth. 25.

Nunc vide, quos imiteris, vide an jam paratus sis ire ad iudicem, & rationem reddere, atque ita tamen te vivere oportet, ita virtutem colere.

Aspira, ut sup. pag. 8. Hæcine firmâ.

PUNCTVM II. Fingete videre ejusmodi hominem moribundum, vel N. notum aliquem divitem magis quam bonum, & cogita quàm amara sit & recordatio mortis habenti pacem aliquam in divitiis suis, quid cogitet, dicat, sentiat de mundo, ejus gloriâ &c. dum oculos retorquet ad loca & tempora, delicias pristinas, & amicos, quibus fruebatur, quibusque jam extremum

Mors mala ò quàm infelix.

vala

vale & perpetuum dicendum erit: versa omnia videbit in luctum, & cantica in lamentationem, & dies istos brevè aternâ cum nocte esse commutandos. O quàm vana tunc apparebunt mundi hujus irritamenta, quàm amara delicia! ubi erunt illæ, ubi amici? Amici solem orientem, quod dicitur, respicient & adorabunt, heres ad hereditatem & spolia anhelabit. Tentationes undique ingruent, & te obruent. Nunc vide quid dives, & gloriofus, & deliciosus ex omnibus hinc secum auferent & quid tu. Contrâ accidet piis viris, & timentibus Dominum: hi enim ea quæ priora sunt relinquent sicis oculis, labores fæcundos præmiorum & solatii exhaustos gaudebunt, exilium peractum, quietem paratam, & coronam post legitimam virtutis certamen.

*Moribundus
quid de futu-
ris cogitet*

Hæcine vera. vt sup. pag. 7. vel *O vita* ut infr. pag. 579.
PUNCTVM III. Fac moribundum ad futura cogitationem convertete, illic decursum sæculorum usq; ad iudicium videbit, & in eo mundi regnorumque illius multiplicem mutationem, nullam sui memoriam. Vide, ô vanitatis ludibrium, & nobilitatis, vide ambitiose. Secundò aternitatem horrendam intuebitur; in quam passu uno eheu! quàm incerto, quàmque formidabili, tibi & mihi hodie, hæc horâ fortè transeundum. Attende jam diviti peccatori iudicium paratum esse, uti & tibi & mihi, & accusatores & tortores multos, incertissimum exitum, cum nesciat homo, amore an odio dignus sit. *Credis hæc? Credo tibi,* ut sup. pag. 7.

Tertiò, appende ab hoc momento & passu illo pendere universam æternitatem, & omnem eo occasionem salutis eripiendam. Deus bone, Deus bone! Hæcine credo, & non horresco? ô quàm meritò exclamabat Moyses, Utinam homines saperent & intelligerent, & novissima providerent! Quartò jam verò attende quid post mortem homini accidat, & ex nunc prospice quale futurum funus tuum, quale & ubi sepulcrum. Funeris fortè longa erit pompa, sed brevis: comites erunt amici

amici, sed frustra cada veri non sentienti, neque valentes opem adferre: lugebunt crescete forte lacrymâ, sed certe inani. Nunc verò descende in sepulcrum tuum, procumbe velut vivens mortuus, hiantesque vermes, & bufones ad prædam venientes contemplare: aspice ut in saniem mox defluere incipias fœtidum cadaver, quod horrent omnes & fugiunt. Et tu potes adhuc fovere corpus in detrimentum animæ tuæ? vide denique quò se vertere possit ad solatium peccator post horam auditam mortis, & cum venerit Dominus ut ponat rationem cum servis suis. Quò se vertet miser: suprâ videbit iratum Deum; infrâ hiare barathrum, circa fremere hostes, intus rodere conscientiam: & ab horâ hâc videt, imò à momento longissimam pendere æternitatem. O æternitas, æternitas, æternitas à momento pendens, tremenda æternitas! An apprehendis? an credis? an opera id tua, & mea loquuntur? an cura & sedulitas?

Exercitium brevius.

O Vita mea unica Christe JESU! Credo tibi, & in te spero, & toto corde te diligo. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo! sic capiuntur homines in tempore malo. & ego nonne fortè hodie ingrediar viam universæ carnis? numerus enim mensum meorum apud te, ð JESU, imò momentorū. Tunc verò cum omnia transferint tanquam umbra, quid amasse volam: quid cogitasse, dixisse, fecisse? quos beatos dixisse? an pauperes, humiles, mites, lugentes, patientes, esurientes justitiam, an secus? sanè tunc beati erunt mihi quos tu appellasti. Itaque ex nunc ex Amore tui moriar mihi, ut vivam tibi, relinquam omnia ut te inveniam, patiar & lugebo hîc, ut tibi gaudeam, odero me & animam meam, ut, sicut desidero, æternum te amem toto corde meo. Amen.

Eccl 9.

Iob. 14.

Exercitium longius.

MELIVS esse dixisti, Deus meus, quem video ubique præsentem, & monentem ire ad domum luctus, quàm ad domum

Eccle. 7.

Sap. 4.

domum convivii: in illâ enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum sit postmodum. Verùm quanta est fascinatio nugacitatis! quàm obscurat bona nostra, & quantum inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum nostrum! At video per gratiam tuam, ô JESV, lux mea, cum mors venerit, & tu vita mea advenies, tunc demùm aperientur oculi cæcorum, & videbunt quomodo transierit mundus & concupiscentia eius. O quàm erit tunc alius cuique sensus, alia judicia! Quis tum quantumvis improbus non optabit se virtutem in vitâ & probitatem coluisse, & in his & in illis se superasse, & vocem tuam, ô Pastor bone, audisse? sed eheu! prorsus inani voto! tunc videbit homo transisse mundum, & concupiscentiam eius, & quæ amabat opes, honorem, gloriam, favorem, omnia transisse tanquam umbram. Et fieri potest ut ob hæc, ob umbras, ob fumû, ô Deus meus, lux vera, & bonitas infinita, & vita nostra, jam improbis ludibrio sis, & despectui? Eheu quàm doleo sic fuisse illum, sic tibi me illuisse.

Applicatio
ad Cômunionem.

O mors, quàm amara est memoria tua tepido, & ignavo, & homini habenti pacem in substantiis suis! quid ergo erit cum videbit sibi parari pro palatio sepulcrum, horam extremam audiet, & de te certos nuncios accipiet? O quantum palpitabit cor eius! languescent oculi, pallescent ora, diffugient amici, opes herum deserent relicta ei unica sindone: videbit abiisse voluptates, & eternas, eheu! miser desperabit, quòd virtutes, humilitatem, charitatem, liberalitatem & patientiam neglexerit, & maxime vocem tuam, & exemplum regis pastoris sui, ô bone JESV. Quid enim tunc solatii morituro erit homini & mihi, nisi virtutis & vitæ benè actæ memoria? Et tu, bone JESV, electorum tuorum certa spes & prasidium, idèd viaticum dici & esse dignaris, ô infinita bonitas, & jam in viâ & vitâ cibus mihi viatori, etsi sæpè canibus à filiis tuis projiciaris. Ego verò cupio corde & affectu intimo semper suscipere te, ut dum defecerit virtus mea, tu spes mea verè unica, non derelinquas me, sed recipias in tabernacula tua eterna, imò amplexus tuos, ut dum mors aderit, occurras mihi, ô vita; dum amici fugient, amicum te inveniam, & solatium, & refugium in illâ hora: Sanè si hæc penetrarem, Deus meus, nunquam

quam virtutem negligere, nec in animo meo vitia per misericordiam tuam excisa repullularent. Iofias tibi dilectus contrivit stauas, succidit lucos, & ne rursum erigerentur illa, loca ossibus mortuorum complevit: neque certe idola, quae veneror quoties à virtute deslecto, restituerentur in templo cordis mei, si illic mortis perpetua excubaret memoria. Monet enim, ut Bernardus tuus aiebat, horror in exitu, dolor in transitu, pudor in conspectu gloriae magni Dei. Vnde, ait, ista nobis dissimulatio, unde hac tam perniciose tepiditas, unde hac securitas maledicta? quid seducimus miseri nos ipsos? forsitan jam divites facti sumus, forsitan regnamus: nonne ostium domus nostrae horribiles illi spiritus obsident? nonne exitum nostrum larvales illa facies praestolantur? Sed si virtutem verè coluimus, sicut tunc optabimus, erimus gratià tuà securi, visitabit nos dextera tua, & dulcissima Angelorum praesentia recreabit desertos, & tua, bone JESU, ita spero, salvabit nos: ostendes faciem tuam, & salvi erimus. Certus enim sum, quia neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia me separare poterit à charitate tuà. Immo verò quod tunc optabo, jam faciam, neque illudet mihi communis error & insania per gratiam tuam, ut nunc eligam cuius tunc me poeniteat, & aeternum. Et cum statutum sit omnibus semel mori, jam mihi mori incipiam, ut vivam tibi, o vita, o lux mea. Quando orieris mihi lux indeficiens, & umbrae haec inclinabuntur? Sunt certè brevissimi dies nostri, & numerus mensium apud te est; longi tamen illi suspiranti ad te, & quarenti te. Quando venies, o mors, quae me reddas vita? venies, o JESU, scio, sicut fur in nocte, veni, veni, sed da metuenti & amanti te significationem, ut vigilem ad te, sive in primà sive in secundà, sive in tertîa vigilià veneris, da operari dum lux est, dum spatium poenitentiae, dum tempus est merendi gloriam, ut te honorem in aeternum; & gratiam inveniam in oculis tuis. Testis mihi es, quia hanc unam peto. Itaque utar talentis & occasionibus istis N. quae mihi bonitas tua concedit, ne tuum ut servus nequam jubeam duci in tenebras exteriores, & separari à te, quando, eheu! post longas vitae moras sperarem intrare, cum servo bono & fidei, in domum & gaudium Domini mei.

4. Reg. 23.
Memoria
mortis.
peccatorum
remedium.
Serm. de 6.
tribulationibus.

Rom. 18.

Actus charitatis.

Iob. 18.

Lucae 12.

O quando hoc erit, quando veniam & apparebo ante faciem tuam? quando venies, & liberabor à corpore mortis huius, & vivens vivens ipse confitebor tibi, & laudabo & exaltabo te in secula seculorum? Amen.

Praxis pro memoria mortis.

PLuribus tertio libro, ubi de præparatione ad mortem agitur, hanc pertractatam videbis, paucas hic tantummodo ponam.

*In sacro est
mortis me-
moriam.*

Prima. Quotidie in Sacro, cum sacerdote, pro defunctis sacrificium offer: & velut in medio mortuorum positus (sunt enim in templis plena sepulcris omnia) cogita moriendum tibi brevi esse, & perpende, an jam ad mortem comparatus.

*Eccles. 7.
Luctu quo
modo uten-
dum.*

Secunda. Melius est, ait sapiens, ire ad domum luctus, quam ad domum gaudii; ideoque, si lugeas amicorum aliquem, tum magis ad mortem te compone, si quis tibi forte occurrat veste lugubri, ne fortuito id fieri putes, sed admonitorem missum.

*In hist. de
Baalam &
Isaphat.*

Sic Divus Damascenus, commemorat de pio quodam Rege, qui Religiosos eo nomine suspiciebat & venerabatur.

*Quotidie
mortis me-
moriam exci-
tanda.*

Tertia. Divus Joannes Eleemosynarius, divinam planè prudentiam, quotidie à famulo moneri volebat de sepulcro; nempe parari illud, paulatim perfici; ut hoc pacto memoriâ mortis vitæ melioris desideria vir sanctissimus acueret. Imò etiam de Philippo Macedonum Rege refertur monitorem sibi in magnâ fortuna statuisse, qui quotidie manè sibi inclamaret hominem eum esse, quo scilicet tumidiore animos comprimeret, & fortunæ inconstantiam, cæterisque vitæ humanæ miseras animo quotidie perciperet, & ad eas se compararet. O quantum hic ruboris incutiet Christiano in die iudicii! Imitari illud D. Joannis poteris & Regis huius; si sententiam de morte vel de vanitate mundi, pridie quàm incumbas scripseris, & lecto affixeris, ut postridie evigilans illa in oculos incurrat prima, atque animum feriat, vel sin tabellâ unâ annorum vitæ (incipiendo scilicet à die Nativitatis) ac mensium habeas numerum, & præterea diei distributionem & officiorum, & inter ea mortem reponas.

*Philippus
Macedo
moneri so-
lente.*

*Nota modum
vesperi incu-
bendi.*

Quarta. Quotidie dum incumbis, cogita an paratus sis mori: lectus enim nos merito commonet sepulcri, uti mortis imago somnus esse dicitur. Itaque incumbere, tamquam sic ad iudicium eâ nocte rapiendus fores, & saltem contritionem cum actu fidei, spei & charitatis, & gratiarum actionis excita; vota, si Religiosus sis, renova; atque ita in pace in idipsum, dormias & requiescas. *Dignatus es, &c. supra pag. 10.*

JACV.

m
i-
e-
r,
o-
ä-
m
e-
m
m
te
n.
e,
u-
pe
i-
le
hä
m
r-
o
ic
o-
ä-
e-
ie
lo
e-
m
i:
o
m
u
e-
e-
y.



XVI

20

IACVLATORIÆ.

Imortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus Rom. 8. cu n il lo.

Brevés dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te, Constitui. Iob. 14. si terminos ejus, qui præteriri non potuerunt.

O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in sub- Eccli. 41. stantiis suis.

Omnes morimur, & velut aqua dilabimur in terram qua non revertuntur. 2. Reg. 14.

Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam Psalm. 88. suam de manu inferi?

Et vos estote parati, quia quâ horâ non putatis filius hominis veniet. Luca 12: Iustorum anima in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum Sap. 3. mortis.

Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd adificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in calis.

VIGESIMÆ IMAGINIS
ANNOTATIO.

Quid in iudicio elegisse te optabis? virtutem N. an vitium N.

O Horrendum iudicii spectaculum! Vide, ô homo, quid tum fecisse optares: id nunc age, & **A** virtutem ama, qua sola tum patrociniabitur, cû manifestabuntur consilia **B** cordis tui. Bona quidem **C** Angelus recensabit: sed **D** demon etiam corâ Deo, & orbe terrarum de peccatis te accusabit. **O** quàm tum bonus jungi optabit **E** improbus! ô triste **F** divortium! ô funestum spectaculum! hîc **G** mundus (quem jam tantifaciunt mortales) exuritur; ibi **H** Reges ac Principes palpitant: hîc irrevocabilis feretur sententia **I** pœnæ aut **K** gloriæ. Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.